

corporalia et palla altaris, super quæ unctio divina descendit. Hæc autem miraculosa Consecratio facta est anno 1189, 6 Idus Novembris.

*Ex antiquis Monumentis hujus Cartusiæ.*

### MARGARETA

PRIORISSA PRATIBAJONIS

In hoc parthenone claruit sanctimonie fama; nobilissimæ ac religiosissimæ conversationis virgo, natione Delphinna, inclyto Montimororum sanguine propagata. Priorissæ munus non paucis annis strenue ac sapientissime cum exercuisset, divinis signis miraculisque corusca, feliciter animam in Cælum emisit, die 8 Novembris, anno 1193.

*Ex Historia ms. Nicolai Molini.*

Hic refert Margaretam egisse Priorissam Excubiarum; verum in nostro Volumine Provinciæ, huic Pratibajonis cœnobio ipsam præfuisse probavimus.

### HENRICUS DE VROEDE

PRIOR BRUGIS

Dictus Sapiens seu Prudens; cujus doctrina in scriptis, sed sancta conversatio, non fuit, et hinc est, quod D.

Anno 1465, mense Septembri, ex Procuratore Brugis per Visitatores institutus Prior, præfuit usque ad annum 1477, quo exactoratus, anno subsequente assumptus est ad moderamen Domus S. Sophiæ. Ubi cum talentum sibi creditum fideliter prudenterque juxta nomen suum multiplicare studuisset, tandem fatis functus, anno 1484, die 8 Novembris, intravit in gaudium Domini.

*Bostius. Petrus. Catalogus Priorum Brugensium.*

### JOANNES MESDACH

PRIOR BRUGIS

Vir omni laude dignus; qui præfuit Domibus Leodii, Ziriczæ et Brugis, ob zelum et pietatem commendatissimus. Qui cum diligentissima administratione nomen sibi immortale comparasset, ad Superos abiit anno 1540, 8 Novembris (al. 20 Octobris).

*Ex Catalogo Priorum Brugis.*

### HUGO HEBERT

COADJUTOR BELNENSIS

Rothomagæus, natus anno 1609. Vota professionis in Cartusia Belnensi